Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

caret etiam in ipso die festo quo celebrabatur audiens se occultari et suum
esse mysterium. Hodierna ergo lectione apparuit potestas, que putabatur ti
miditas. Loquebatur enim palam in die festo, ita ut mirarentur turbe et dice
rent quod audivimus cum lectio legeretur. Nonne hic est quem querebant in
terficere? Et ecce palam loquitur, et nichil illi dicunt. Numquid vere cognove
runt principes quia hic est Christus? Qui noverant qua sevitia querebatur, mirabantur
qua potentia non tenebatur. Deinde non plene intelligentes illius poten
tiam, putaverunt esse principum scientiam quod ipsi cognoverant eundem
esse Christum, ideo pepercerunt ei quem tanto tempore occidendum quesierunt. De
inde illi ipsi apud se ipsos qui dixerant: Numquid cognoverunt principes
quia hic est Christus? fecerunt sibi questionem qua eis videretur non ipse esse quod Christus. Ad
iungentes enim dixerunt: Sed istum novimus unde sit; Christus autem cum venerit
nemo scit unde sit. Hec opinio apud iudeos unde nata fuerit
quod Christus cum venerit nemo scit unde sit, non enim inaniter nata est, si con
sideremus scripturas invenimus fratres quoniam sancte scripture dixerunt de
Christo quoniam nazareus vocabitur. Ergo predixerunt unde sit. Rursus si locum
nativitatis eius queramus tamquam unde sit ubi natus est, nec hoc latebat iu
deos propter scripturas que ista predixerant. Nam cum eum visa stella magi
quererent adorare, venerunt ad herodem, dixerunt quid quererent et quid vel
lent. Ille autem convocatis eis qui legem sciebant, quesivit ab eis ubi Christus
nasceretur. Illi dixerunt: in bethlehem iude, et testimonium etiam pro
pheticum protulerunt. Si ergo prophete predixerunt et locum unde erat origo
carnis eius, et locum ubi eum peperit mater eius, unde nata est ista opinio
apud iudeos quam modo audivimus: Christus cum venerit nemo scit unde sit,
nisi quia utrumque predicaverant et pronuntiaverant scripture? Secundum
hominem predixerunt scripture unde esset, secundum deum latebat im
pios et querebat pios. Ad hoc enim et isti dixerunt: Christus cum venerit
nemo scit unde sit, quia hanc in illis opinionem generaverat
quod per esayam dictum est: Generationem autem eius quis enarrabit? Denique
et ipse dominus ad utrumque respondit, et quia noverant eum unde esset,
et quia non noverant, ut attestetur prophecie sancte que de illo ante predicta
est, et secundum humanitatem infirmitatis et secundum divinitatem ma
iestatis. Audite ergo verbum domini fratres, videte quemadmodum confirmaverit
eis et quod dixerunt: Istum novimus unde sit, et quod dixerunt: Christus cum ve
nerit nemo scit unde sit. Clamabat ergo docens in templo Ihesus.